



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Probatur prioris Machabaici γνησιότης & antiquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

racler vetustatem indicat, & ad priscorum exemplarium formam opus compositum est. Ac primum descriptum est Ebraica lingua, sive potius Syriaca, seu Hierosolymitana, ea nempe quæ hoc tempore inter Judæos patrium solum incolentes jam inde à soluta Babylonica captivitate usurpabatur. Ergo hæc historia continebatur priore Machabæorum libro, qui diu Ebraicis descriptus literis superfuit, quemque se vidisse testatur Hieronymus. Hinc Græca prodiit interpretatio, qua fruimur; hinc & Latina quæ ad hanc diem extat: quippe Ebraicis utraque adeo oblita est, ut Ebraicam prorsus originem sapiat. Hæc vero, Latinam dico, an ex Ebraico exemplari proxime petita sit, an per Græcæ interpretationis fistulas derivata fuerit, incertum est. Titulum Libri Origenes indicat hanc fuisse, *σπῆρμα ἰσραὴλ*. Hoc est, uti alibi exposuimus, *σπῆρμα ἰσραὴλ*, *Sceptrum rebellium Dei*, vel si secundam dictionem disjungas, atque ita scribas, *σπῆρμα ἰσραὴλ*, *Sceptrum principis filiorum Dei*. Atque id lemma libro Machabæorum prior, Ebraicum præfixum primo fuit. Deinde vero cum Libro prior alter, & in aliquibus etiam Codicibus tertius quoque adjungeretur, omnes communem hanc appellationem tulerunt: quemadmodum libri Esdræ titulum sequens Nehemiæ liber participavit. Causa itaque non est, cur tantopere miretur Scaliger sub Ebraicum titulum librum Græcum venisse, nec cur Origeni Judæos imposuisse usque adeo asseveranter affirmet. Ignoratur Libri hujus prioris Auctor, quem tamen conjectando quidam assequi tentarunt. Sunt qui Johannem Hyrcanum fuisse putent, Simonis filium, quem diuturno potitum imperio ac Pontificatu, & futurorum quoque præcium fuisse narrat Josephus: quod & tuto credi, & sine periculo negari potest.

Hier. Prolog. Galcat.

Scal. Animad. in Euseb.

Joseph. Antiq. lib. 11. cap. 18. Probatur prioris Machabæi *σπῆρμα ἰσραὴλ* & antiquitas.

II. Quamvis autem ad probandam Libri hujus *σπῆρμα ἰσραὴλ* vix quicquam nobis Libri sacri præsentis opis, reliqui etiam oppido pauca, quod in Canonem Ebraeorum nunquam, in illum Christianorum sero sit admittus; satis clara tamen ad ejus agnoscendam antiquitatem superfunt vestigia, si quis animum adhibeat minime refractarium ac pertinacem, sed studiosum veritatis, qualem initio operis hujus desideravimus. Primum autem non una res est, quamobrem ex priore Machabæico in secundum multa transiisse suspicemur. Nam cum ex variis libris hinc inde compilatus sit secundus, ut ex capite secundo liquet; ad Egyptios autem Hellenistas, inter quos prodiit, Hierosolymitani Judæi multa ex suis tabulariis deprompta transfuderint veteris memoriæ instrumenta, ut ostendit idem caput, atque item primum, dubitari vix potest, quin Machabæicam quoque ipsi historiam impertiverint. Inde adeo non res solum eadem in utroque referuntur, sed sententiæ etiam aliquot occurrunt utrobique consimiles. Nam quod his verbis expresserat Machabæicus prior: *Et edificaverunt gymnasium in Jerusalem secundum leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt nationibus, & venundati sunt ut facerent malum*: id sic alter retulit: *Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque Ephæborum in lapidibus ponere*. Scripsit prior: *Quicumque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur*. Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo, & proposuit principes populi, qui hæc fieri cozerent: scripsit alter: *Decretum autem exiit in proximas gentium civitates suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent: eos autem qui nolent transire ad instituta gentium, interficerent*. Illic Judas Machabæus adversus Nicanorem præliaturus ait: *Qui missi erant à rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit Angelus, & percussit ex eis centum octoginta quinque millia*: illic vero: *Admonuit eos & de auxiliis Dei quæ facta sunt erga parentes, & quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt*. Nicanoris interitus, capitis ejus dextræque exectio, atque eorum contra Templum Hierosolymitanum in sublimi loco collocatio, & instituta victoriæ ab eo reportatæ anniversaria celebritas, paribus fere verbis ab utroque recitantur. Plura non proferam, cum Librorum germanitas ex instituto ab aliis parallelismo præclare intelligatur. Ex his sequitur ferri eorum non posse sententiam, qui Theodotionem primum Libri hujus interpretem Græcum ponunt. Adde probabile haudquaquam videri, tamdiu passos fuisse Hellenistas Judæos decora suæ gentis, & eximia Dei adversum suos beneficia à popularibus suis ignorari. Jam si discedamus à sacris Codicibus, Josephum ita se ad prioris Machabæi affectationem composuisse reperiemus, ut totum in Archæologiam suam transulerit. Id ultro fatentur Rabbini, Judæos à supersticioso Sabbathorum cultu Tertullianus revocat exemplo Machabæorum, qui commissis Sabbathi die præliis patriam liberarunt. Meminit etiam hujus Origenes, ut dixi; & accessita ex eo testimonia usurpat non semel Cyprianus.

1. Mach. 1. 15.

2. Mach. 4. 12.

1. Mach. 1. 52.

2. Mach. 6. 8.

1. Mach. 7. 41.

1. Mach. 8. 19.

